

Universitätsbibliothek Wuppertal

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvae Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1615

De epistolis L. Annæi Senecæ

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-466](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-466)

DE EPISTOLIS

385

L. ANNÆI SENECAE,

Quare, Quando, & ad Quem scriptæ.

B



PISTOLAS has ita scripsit, & inscripsit: non quia vera sint, & assidue sic missa: non ego arbitror: sed placuit titulus & ratio scribendi libera, in qua incipias, desinas cum lubet; inseras, varies, ut lubet; neque adstringeris ad ordinem aut materiem certam. Est velut silva quadam rerum, & miscellanea argumenta: etsi Philosophia tamen finibus clausa. Ego censeo Senecam hac obiter & carptim scripsisse, per intervalla, ut quidque meditatus erat, aut incidebat, inter ambulandum, exercendum, in horto, in domo, in lecto. Quando enim illud ingenium quieverit? Sunt igitur cottidiani conceptus, siue μελέματα: sed, ita me Deus, pulchra, utilia, alti animi atque honesti. Quin tamen & vera quadam Epistola intervenerint, haud fortiter eo negatum: sed quadam. Hoc vel argumento temporis adstruas, quo sunt scriptæ. Omnes enim intra biennium, ut facile ex ipsis colligas: consulatu Memmij Reguli & Virginij Rufi, itémque Lecanij & Licinij: id est, haud longè ante eius mortem. Meminit in epistolâ xci. Lugdunensis coloniae exustæ, & deplorat: atqui clades ea illis extremis Consulibus incidisse videtur, cum Tacitus scribat Neronem solatum cladem Lugdunensem quadragies hs, anno sequenti. Neque enim ista remedia differri diu solent. Sed & ipse Seneca non uno loco ostendit, Epistolas has in senio suo scriptas. Scripsit autem ad Lucilium: & quis ille? Origine humilis, industriâ emerfit, & ad equestrem ordinem, tum ad Procurationem Sicilia peruenit. Disces ex his epistolis, si observas. Ingenium illustre fuisse videtur, litteris & poëtica etiam amicum: usque dotibus Seneca carum. Laudat mirificè eum, etsi colore quodam & figuratè, libri iiii. Natural. Quæst. initio, quos ipsos libros ei inscripsit. Ostendit ibi sub Caio potuisse, sub Claudio: fidem eius commendat, inuictum muneribus animum, alia digna lectu, si quis virum nosse cupit. In his etiam

k

Episto-

Epistolis, à iuventute se ei amicum fuisse significat, & aetatem perseverasse. A
Alia de viro non possum, nec cognomen quidem eius eruere. Nam quod
quidam Iuniorem appellant; inducti loco Seneca (epist. xxvi.) Iunior
es? quid refert? non dinumerantur anni: puer videt, quam sit pue-
rile. Ad aetatem ea, non appellationem spectant. Paulo igitur minor Se-
neca fuit, tamen & ipse senex, argumento epistola nonagesima sexta.
Satis, si addidero, diuidi à quibusdam has Epistolas in libros: & olim
sic fuit. Agellius palam citat librum xxii. Epistolarum: & scri-
pti codices diuidunt, sed diuersè. Seneca ipse tangere & ingerere videtur,
in epistola xxxiii. Desideras his quoque epistolis, sicut prio-
ribus, adscribi aliquas voces nostrorum. Diuidit à prioribus: B
quid nisi à libro priore contentis?

